



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
QUA DIVERSÆ THESES.
EX

Imp. 22
559.

1665, 8.

JURE NATURALI,
GENTIUM, CIVILI, CA-
NONICO, FEUDALI, SAXONICO
ET CAMERALI DESUMPTÆ

10

SUB
PRÆSIDIO
SUMMI PRÆSIDIS
DECRETO
MAGNIFICI AC AMPLISSIMI
JURISCONSULTORUM COLLEGII,

IN CELEBERRIMA ARGENTORATIENSIS
ACADEMIA
PRO

SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
PRIVILEGIIS AC IMMUNITATIBUS
DOCTORALIBUS

RITE AC DECENTER CONSEQUENDIS
VENTILANDÆ EXHIBENTVR

JOHANNE KLÖVEKORN.
OSNABR. WESTPH.

VIII. Die Martii.

ARGENTORATI,

Typis JOH. PASTORII,

ANNO M. DC. LXV.





REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DN. ERNESTO AU-
GUSTO; EPISCOPO OS-
NABRUGENSI,
DUCI BRUNSVICENSI
ET
LUNAEBURGENSI

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

*Disputationem hanc Inauguralem
submitte offert.*

Devotissimus Cliens

Johannes Klövekorn.

Q. B. V. D.

EX JURE NATURALI

THES. I.

Quod liberi sequantur conditionem matris servilem, dignitatem vero & familiam patris, etiam ante eam adeptam nati, ex dispositione magis Juris civili quam naturæ esse videtur.

II. Nec minus juri naturali convenire videtur; quod illegitimi de jure civili, matri ab intestato in solidum, patri vero in duas tantum uncias cum matre dividendas succedant, ac testamentum eius, in quo hæres instituti, à fratribus eius præteritis, ut inficiosum rescindi possit.

III. Usuræ juri naturæ minimè sunt contrariæ, ut Canonistæ, (odio saltem nominis) tam acriter defendere conantur.

IV. Ob Necessitatem summam non minus matri quam patri, tam de jure civili quam naturali, distractionem liberorum suorum concedendam esse puto.

V. Monopolia non indistincte juri contrariantur, sed juxta etiam de causa & pretio constituto à summa potestate quandoque concedi possunt.

VI. Juri tam naturæ quam gentium ac civili renunciaffe videntur, qui ob debita quamvis liquida mortuos arrestare non erubescunt ut nonnullis in locis passim fieri videmus.

VII. Quamvis de jure naturæ ex facto alieno nemo teneat

teneatur, jure tamen gentium, etiam subditorum bona pro debito imperantium tenentur.

VIII. Cum pacta de jure naturæ sint servanda, non minus pyratris, quam hosti in bello solenni, fides, est servanda.

IX. Quod mater filio non nisi instituto, pater vero etiam exhereditato tutorem dare possit, etiam si testamentum eius ut in officiosum sit rescissum, mera juris civilis non naturalis sanctio est.

X. Jure licet naturæ in locatione, conductione merces haud minuenda sit, ob sterilitatem vel alios casus fortuitos eventientes, jure tamen civili damnum ingens, in fructibus rei locatæ fortuito casu passum, proficit conductori, ad mercedis remissionem.

EX JURE GENTIUM.

XI. Filii Principi nati ante regnum ab eo adeptum tam de jure Gentium quam civili dignitate patris fruuntur non minus ac si regno demum adepti nati essent.

XII. Quamvis sancta sint legatorum corpora, adeo, ut quamvis crimina fere atrocia commiserint, potius tamen principali sint remittendi, ut ipse penam exigat, vel eos dedat, vim tamen armatam alicui intentantes, licite occidi possunt.

XIII. Principem pro ratione utilitatis Reip. posse quid constituere à communi jure exorbitans, damnoque nonnullos afficiens, nullus dubito, imo nec vi resistendum Principi, quamvis sanctiones ipsius Reipublicæ minus conducant, injuriamque inferant maximam.

XIV. Capta ab hostibus in bello legitimo quin fiant

fiant capientium, quatenus ac in quantum hostium fuerunt, nullum est dubium, sed *Quar.* An ab his quibus antea sunt erepta, vindicari à nobis possint. *Resp.* Neg. Non minus ac jure civili oves alienæ à canibus nostris lupis erepta, si recuperandi spem probabilem alter amiserit.

XV. *Sed Qr.* ulterius : An etiam erepta hostibus extra territorium bellantium jure gentium acqui- sita videantur. *Resp.* Quamvis de jure gentium locus non fuerit attendendus, imperium tamen in illo loco habens prohibitione sua hoc illegitimum facere potest.

XVI. Inviolabiles licet apud omnes fere gen- tes legati habeantur, per fines tamen alterius non acce- pta venia; ad hostes eius, impune transire nequeunt.

XVII. Non ex jure gentium, sed civili concessione eius apud quem degit Legatus, asylum ad domum suam confugientibus quandoque præbere potest.

XVIII. Comites Legatorum quamvis graviù crimi- num reos, si quis vi absq; concessione Legati abstrahat, jus gentiù non tantum violasse censetur, sed & jure civili nostro, de crim. læsæ Maj. vel vi publica insuper tenetur.

XIX. Quamvis jure civili illata in domum con- ductam, pignoris loco pro pensione & damno tacite lo- catori obligentur, in bonis tamen Legatorum hoc jus neutiquam procedit, cum nec illorum bona ob grande forte æs alienum contractum arrestari vel distrahi possint.

XX. Sed quid, num ergo creditores contra natu- ralem æquitatem defraudandi debito ? *Resp.* Quod non, sed si ipse, vel dominus eius de solutione placide in- terpellatus non solvat, eodem modo contra illos proce- dendum, quo adversus debitores extra territorium po- stos procedi solet.

10



EX JURE CIVILI

XXI. **N**on sola citatione sed litis contestatione, actiones, licet personales ad XL. annos perpetuantur.

XXII. Sententiæ JCtorum in Pandectis relata quatenus historica continent, fidem ubiq; non merētur.

XXIII. Prohibitionem transactionis controversiarum, ex testamentis descendendum, etiam in Codicillis, & testamento nuncupativo in scripturam tamen redacto, obrinet, nec huic inspectioni quenquam renunciare posse puto.

XXIV. Cum omnis Usufructuarius, adeoque & pater in bonis liberorum maternis, ratione fructuum exinde provenientium, tributa, vectigalia, cæteraque onera ordinaria & extraordinaria, imo & modicam rei refectionem ferre tenetur.

XXV. Sed quid, si contributiones tam graves sint atque immodicæ, ut etiam superarint fructus, an illæ à proprietario refundendæ, adeoque pater illas filio detrahere possit? quod quamvis de stricto jure negandum foret, ex æquitate tamen contrarium multis præjudiciis firmatum obrinet.

XXVI. Legato Vxori à marito usufructu omnium bonorū immobilium, non minus vectigalium decimarum, piscationum ac venationum fructus quam prædiorum debentur.

XXVII. Sed stante statuto, quod defuncta vxore, mobilia lucretur maritus, immobilia vero ad hæredes defunctæ pertineant. Quær. An fructus pendentes agrī, nomina & actiones, item pecunia ad cambium vel alias mutuo dari solita debeat, & quamvis hæc moveri possint

sint nihil tamen horum de jure civili deberi, sed jure tantum Saxonum fructus pendentes agri lucrari maritum.

XXVIII. Legitimati per rescriptum Principis de jure à collegiis opificium non sunt arcendi, cum & patri, ante eius mortem legitimati, succedere possint.

XXIX. Quod stante statuto, ubi masculi existant, feminas debere excludi, feminæ legitimatis per rescriptum Principis præferantur, consuetudini magis ac æquitati quam stricto juri adscribendum esse puto.

XXX. Cum partus septimestris de jure sit legitimus, omnis pœna præmaturo *concupitu* statuta in parentibus eius cessat, nec præsumptione quidem gravantur, ob quam juramento se purgare teneantur, non obstante contraria multis in locis introducta consuetudine.

XXXI. Ex æquitate contra magis quam stricto jure civili, partum undecimestrem in viduis honestæ famæ pro legitimo habendum reor, multo minus XIV. mense post mortem mariti natum, cum Parisiensibus quondam legitimum esse habendum puto.

XXXII. Adversus incolas illarum civitatum ac ditionum, ex quibus legata, fideicommissa ac donata mortis causa, absque detractioe vel tertiæ, vel quartæ partis transferre non licet, in aliis locis, licet ibidem alias jus hoc non obtineat, idem tamen observari potest.

XXXIII. Quod fratrum filii suis Thiis destiti, non in stirpes (ut Hollandorum jura Scabinica volunt) sed in capita succedant, nova ab Azone (ut plerique opinantur) introducta, à Carolo autem V. confirmata opinio non est, sed à veteri Jcto Ulpiano jamdudum tradita.

XXXIV. Dispositio minus solennis patris, quamvis valeat inter liberos, etiam legitimatos, non tamen
valeat

valet ratione relictorum extraneæ licet amicæ personæ.
Difs. Cujac.

XXXV. Scrupulosi potius quam felices plures esse videntur in indaganda rationis diversitate ; Quod in restitutione minoris, interponenda appellatione aliisque, ultimum inspiciatur momentum , in Usucapionibus vero & testamenti factionibus dies cæptis pro completo habeatur.

XXXVI. Quamvis gesta à Magistratu, Judice vel Notario publicè constituto, inhabili tamen & putativo, ob publicam utilitatem nulla non habeantur, exinde tamen à Doctör. multis deduci malè videtur, quod Error jus faciat.

XXXVII. Jus privatum Romanorum , statui magis Monarchico quam Aristocratico vel Mixto convenire videtur, adeoque non est cynosura, ad quam omnes Reip. species se conformare debeant.

XXXVIII. Etiam si liberis, de jure novissimo sub vitio nullitatis testamenti paterni, solo titulo institutionis legitima relinqui debeat, fratribus tamen, turpibus personis institutis, etiam alio titulo relinqui posse puto.

XXXIX. Cessante in Emphyteusi Fæderistica per biennium, in seculari vero per triennium, in exsolvendo canone Emphyteura, quamvis ipso jure, etiam si non interpellatus, jure suo cadat, absque prævia tamen judiciali sententia expelli non debet.

XL. Legatum sub conditione alicui relictum, ne nubat, virgini, quamvis postea nupserit nihilo minus debetur, viduæ vero minime.

XLI. Pactum Antichrescos non vitiatur ob modicum excessum in fructibus, quamvis certis, legitimam etiam usurarum quantitatem excedentes, nec restituendum quid,

quid, vel imputandum in sortem, & fructus, quamvis ex-
cesserint, fuerint incerti.

XLII. Cedens, quamvis de cessi nominis evi-
ctio teneatur, locuplerem tamen & qui solvendo sit de-
bitorem, minime prestare tenetur, etiamsi cessum minus
idoneum esse sciverit.

XLIII. Evictio licet Emptori non promissa, à
venditore nihilominus ei prestanda, quamvis post litem
demum contestatam id emptori denunciaverit.

XLIV. Substitutio reciproca à milite puberi &
impuberi instituto, verbis directis facta, non tantum in
impubere, in vim tacitæ pupillaris sed & in impubere,
postquam heres exstitit, valet.

XLV. Paganus puberi & impuberi instituto re-
ciproce substituens, non amplius quam vulgariter utris-
que substituissè videtur, adeoque prima hæredis existen-
tia illa expirat, licet alter in potestate testatoris exstiterit.

XLVI. Testamentaria matris vel aviæ pupilla-
ris substitutio quamvis nulla, propter adjectam tamen
clausulam codicillarem, in vim fideicommissi servari
posse puto.

XLVII. Imperatorem nostrum Justinianum non
fuisse ex gente Essenorum omne consortium cum mulie-
ribus damnantium, complures eius indicant constitutio-
nes in favorem feminarum latae.

XLIX. Cum de jure civili (non vero Saxoni-
co) liberi utrinque conjuncti, cum parentibus in succes-
sione fratrum, exclusis consanguineis ac uterinis concu-
rant. Quer. Num hoc etiam obtineat, quando defun-
cti fratres consanguinei, vel uterini, cum patre vel matre
concurrunt? Et quamvis in puncto stricti juris hoc af-
firmare non dubitem, in praxi tamen contraria æquior
sententia observatur.

B

XLIX.

XLIX. Quamvis jus majoratus in successione Electorum plane exuulet, nec inter ceteros hodie Imperii Principes, nisi ex speciali observantia alicubi obtineat, apud priscos tamen Germania populos, excluso jure representationis, illud maximè viguisse, indubium est.

L. Germanicæ nationis Principem, ad Imperatoriam dignitatem tantum esse admittendum, magis inveterata consuetudine observatum, quam certa aliqua Imperii lege statutum esse arbitror.

LI. Civili Magistratui supereminentem ferè in civium bona potestatem, præscribendi subditis de rebus suis sub certo modo alienandis, negare videntur, qui ex testamento, solennitatibus juris civilis destituito, heredem ab intestato, in foro poli ad relictorum exsolutionem teneri statuunt.

LII. Testamentum posterius imperfectum, quandoque perfectum antea factum testamentum rumpere possit, non dubito.

LIII. Absurdum minime videtur, de jure civili, ex legitimè contracto matrimonio spurium quandoque nasci.

LIV. Vendita hæreditate, quamvis omnia commoda & incommoda ad emptorem pertineant, à creditoribus tamen hæreditariis, venditore adhuc solvendo existente, invitus conveniri nequit, etiamsi & illis satisfacturum se cum emptore convenit.

LV. Conductor non tantum ab Emptore, sed etiam ab ipso locatore, antequam tempora locationis sint finita, licite quandoque expelli potest, ut nulla propterea contra expellentem ipsi detur actio.

LVI. Retractui conventionali etiam de jure civili, triginta annorum spatio præscribi posse, in puncto ju-

ris.ve.

ris veriorum puto esse sententiam, quamvis praxis hodierna ab ea divortium fecerit, Retractui autem gentilitio anno & die præscribi non dubitatur.

LVII. Furem nocturnum absque telo mortifero incidens interficiens, ab omni plane pena liber non est, quamvis aggressus quis à latrone fugere non teneatur, nisi simul periculum effugere possit.

LVIII. Assassinii crimen (ab Assacidis Persiæ populis secundum quosdam dictum) quamvis quo ad nomen, re ipsa tamen jure civili haud incognitum sed gravissima semper pena prosequutum est.

LIX. Qui jurato promissit alicui se non revelaturum atcane alicuius causæ, in testem productus licite omnia revelare potest ac teneretur.

LX. Quamvis quis vel libere vel coactè confessus se aliquem occidisse, si tamen de corpore delicti non constat, non tantum pena sanguinis cessat, sed nec indicium ad torturam sufficiens inde oritur.

LXI. Modum probandi vel explorandi crimina homicidii vel infanticidii, quem ex cruentatione cadaverum, quidam deducere volunt, cum omni externo fundamento destituatur, nec indicium ad torturam sufficiens præbere potest, quamvis multis fuerit probatus.

EX JURE CANONICO.

LXI. Quamvis juramentum de jure civili non sit modus introducendæ obligationis, jure tamen gentium & Canonico, de relicta & honesta præstitum, firmam producit obligationem & actionem.

LXII. Probatio Sagarum per aquam frigidam, calidam sive ferventem, per pondera item & lancem, non tantum juri divino & humano repugnat, sed & omni plane

plane ratione destituitur, adeoque nec præsumptionem ad torturam sufficientem præbere potest.

LXIII. Eiusdem fere farinæ est probatio innocentia per monomachiam, gentilibus maximè usitatam, per ignem similiter ac ferrum candens, gestationem etiam prunarum, per easque nudatis pedibus ambulationem cum superstitione non careant, nec sine tentatione supremi numinis fiant.

LXIV. Computatio graduum canonica, in terris Imperii nostri in matrimonialibus (non autem successione aliisque) quidem obtinet, ab absurdo autem evenienti in computatione linearum inæqualis, vix excusari potest.

LXV. Matrimonium metu contractum, quamvis sit ipso iure nullum, filius tamen ex metu erga parentes aliquam ducens, ex hoc capite postea eam dimittere nequit.

LXVI. Sponsalia de futuro sub conditione contracta, ac insequuta copula carnali purificata, nec minus hodie in plerisque Pontificiorum locis, quam ante concilium Tridentinum, matrimonium inducere præsumptum, verius est.

LXVII. Sponsalia de præsentibus, quamvis quo ad essentialia pro vero matrimonio habeantur, legitimum tamen hodie matrimonium nisi & *ερωλογία* accesserit dici non possunt.

LXVIII. Filia absque speciali patris consensu matrimonium iniens nullam patri nec de iure civili, nec canonico, exheredationis causam præbet, quamvis maior 25 annis si pater eam marito dare distulerit, in corpus suum eam peccare contingat.

LXIX. Pubertatem canones non annorum numero, sed ex habitudine corporis æstimandam rectius putant, quam-

13.
quamvis hoc Imperatori nostro impudicum fore visum
sit, & ad refecandas tam Philosophorum quam Jurecon-
sultorum veterum controversias certum tempus consti-
tuerit.

LXX. Etiam de jure canonico fornicationem
quandam honestam esse, nemo inficias ibit.

LXXI. Quamvis prohibitio graduum ad septimā
usque generationem jure canonico olim fuerit extensa,
& ab Innocentio tamen tertio, ad quartū gradum inclu-
sivè sit restricta, ratio tamen eius subjecta à quatuor hu-
moribus corporis desumpta, jocosa esse videtur.

LXXII. Cognatio spiritualis quamvis expressis
juris divini fundamentis destitui videatur, ab Imperato-
ribus tamen Christianis etiam ante juris canonici intro-
ductionem probata, à Pontificum autem sanctionibus
ita excrevit, ut non immerito Concilii Tridentini restri-
ctionem meruerit, ex nostris autem Ecclesiis ubique ex-
terminata non est.

LXXIII. Cum nullius Patris vel Concilii autori-
tate niti videatur illud Gratiani, Quod ducens uxorem
corruptam, quam putavit esse virginem, non possit eam
dimittere & aliam ducere, ex suo cerebro hoc fixisse præ-
sumitur.

LXXIV. Quamvis jure civili successores ad onera re-
alia fundis imposita exsolvenda teneantur, nec ulla præ-
scriptione ab illarum præstatione liberentur, ad decima-
rum tamen restantium exsolutionem, novus possessor
non tenetur.

LXXV. In itinere aggressus à Latronibus si pro re-
dimenda vita certum quid jurato quis promiserit, an ad
hoc exsolvendum teneatur, Quar. Resp. de jure civili
hoc juramentum plane non obligare puto, de jure autem
B. 3. Cano-

Canonico obligare quidem, sed absolutionem ab eo per
ri posse.

LXXVI. Simonia Canonistarum, minus recte
deduci videtur à Simone mago, cuius in sacris fit mentio.

LXXVII. Sed *Quæ.* Si certa pecuniæ summa à Pasto-
ribus antequam admitti possint, Patronis exsolvendi fit
statuta, an absq; crimine Simonia; ab illis hoc exsolvi
possit? Quod de jure stricto omnino negandum ex æ-
quitate tamen affirmandum puto.

EX JURE FEUDALI.

LXXVIII. Successor in feudo causam non habens ab
ultimo possessore, debita ab illo in utilitatem feudi non
contracta, exsolvere non tenetur, nisi hereditatem quo-
que simul eius agnoverit.

LXXIX. Legitimati per subsequens matrimonium
quamvis alias, de jure præsertim Canonico, legitimis per
omnia æquiparentur, de jure tamen feudali minime suc-
cedunt, quamvis praxis contrarium servet.

LXXX. Cum in jure feudali jus agnitionis potius
solum, quam cognitionis simul, ut jure civili, attendatur,
Quæ. num etiam in aliis bonis, ex fideicommissio agnatis
pro conservatione familiæ relictis, fratres consanguinei
cum germanis admittendi? quod negand. puto.

LXXXI. Clerici quamvis ad servitia feudalia
sint inepti, feudorum tamen nec de jure feudali incapa-
ces sunt censendi.

LXXXII. Jure quamvis civili, pater etiam exhe-
redato tutorem dare possit, jure tamen feudali hoc mi-
nime procedit.

LXXXIII. Sed nec jure etiam de causa, exhere-
dare patrem de feudo filium posse firmiter statuo.

LXXXIV. Princeps feudum alicui concedens cum
omnibus fustibus inde pervenientibus. *Quæ.* Num
etiam

etiam salinæ ac metalli fodinæ in illo postea repertæ Vafallo cedere debeant? Resp. de jure fundali omnino debere, sed cum per Fridericum inter regalia hæc sint relata, sisco hodie redeunt.

LXXV. Capitula extraordinaria jurisfeudalis à Cujacio adiecta, non maiorem in feudalibus quam Novellæ Leonis in civilibus controversiis decidendis auctoritatem habere videntur.

EX JURE SAXONICO.

LXXVI. Jus repræsentationis quamvis iure Saxonum communi, & iure Aesdonico Westfrisorum in linea collaterati non obtineat.

LXXVII. In aliis tamen ditionibus Saxonum imperio non subiectis, quamvis iure Saxonum utantur, etiam in fratrum filiis illud obtineri debere verius est.

LXXXIX. Ex commiseratione non minus quam æquitate, mercedes famulorum, in concursu creditorum, de iure Saxonico, præsertim Elect. ad primam creditorem classem referuntur, cum alias iure civili nulla gaudeant prærogativa.

LXXXIX. Sumptus funeris quamvis iure civili omnibus præferantur creditoribus, iure Saxonico tamen multis postponuntur.

XC. Nec minus creditoribus in funus uxoris & liberorum de iure civili hoc privilegium debetur, etiamsi jura Saxonica hic iterum divortium faciant.

XCI. Quamvis usuræ iure civili & Saxonico, communi eadem ordine in concursu creditorum, una cum sorte sint collocandæ, Jure tamen Saxonico Elect. prius cæteris creditoribus ratione sortis satisfaciendum, antequam usuræ solvantur, nisi legitimum fuisse interesse probetur..

XCI.

XCII. Reconvetio quamvis de jure Saxo-
nico finita demum priori instantia instituti possit. ex-
inde tamen male nonnulli deducunt, etiam compensa-
tionem in eodem iudicio minime obici posse.

XCIII. Nec minimam ultimarum voluntatem
tantum restrictionem, sed & iniquitatem aliquam sapere
videtur, quod Expeditoria & Gerada in præjudicium
egenorum quandoque liberorum, indignæ sapius per-
sonæ jure Saxonico deferantur, omnisque ultima disposi-
tio in his cesset. **EX JURE CAMERALI.**

XCIII. **S**I iure venandi controverso cervus ab
aliquo ita vulneratus ut evadere perfe-
quentis potestatem non possit? **Quær.** An hic pro re
ipsa, an vero pro re tertia sit habendus, adeoque manda-
ta S. C. sint decernenda. **Resp.** posterius affirm. puto.

XCIV. Jure autem lignandi vel glandis legen-
dæ controverso, si lignum, sænum aliique fructus sylve-
stres in fundo nati, alicui auferantur mandata, propterea
de restituendo sine clausula minime sunt decernenda.

XCV. Destructa ob jus controversum superficie tantum
quamvis nihil ablatum constitutioni tamen pignoratitia locum
esse non dubito.

XCVI. Ad auctam jure novissimo summam appellabi-
ilem faciendam, interesse etiam & pensiones LL. approbatas cu-
mulari posse puto,

XCVII. Quamvis statibus Imperii in prima instantia re-
gulariter competat jus Austregarum, locum tamen huic privilegio
esse non puto, si cum Principe subditi simul conveniantur.

XCVIII. Ad fundandam hodiè jurisdictionem Came-
ræ, obtinendosque processus, non tantum sufficit quod quis narret
qualitatem causæ, quæ jurisdictionem cameræ tribuat, nisi simul
narratorum probatio aliqua offeratur.

XCIX. Principes Imperii à mediâ etiam imperio sub-
jecto conventi, jure Austregarum gaudent.

C. Comites tamen Barones atque Nobiles etiam in prima
instantia ab illis conventi coram camera stare tenentur.

Seyez la gloire à Dieu.

Stassburg, Diss., 1665-66

f

ULB Halle 3
003 745 031




TA → OL

hur 5 bishor verknüpft

WONA





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

TATIO JURIDICA
NAUGURALIS
DIVERSÆ THESES,
EX

Sup. 22
559.
1665, 8.

NATURALI,
IM, CIVILI, CA-
FEUDALI, SAXONICO
MERALI DESUMPTÆ

SUB
PRÆSIDIO
MI PRÆSIDIS
DECRETO

IFICI AC AMPLISSIMI
SULTORUM COLLEGII,

PRIMA ARGENTORATENSIIUM
ACADEMIA
PRO

TROQUE JURE HONORIBUS
GIIS AC IMMUNITATIBUS
DOCTORALIBUS

ECENTER CONSEQUENDIS
TILANDÆ EXHIBENTVR

NE KLÖVEKORN.
SNÄBR. WESTPH.

VIII. Die Martii.
GENTORATI,

S JOH. PASTORII,
ANNO M. DC. LXV.

10

